

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0633

0631

0637

0627

0642

0622

0682

0582

0732

0532

0132

Ende

Anfang

60

caruit usque ad tempora Helizaei prophetae, qui fontem satis
amarum dulcoravit, ut patebit fol. 7 A. Haec civitas prima
fuit, quam filii Israel transito Jordane ceperunt, et multa mira-
bilia in ejus captione contigerunt, ut patet Josuae VI. Hanc
Josua funditus evertit et maledictionem imprecatus est super
primogenitum filium et super novissimum eam reaedificantis.
Unde post multa annorum curricula quidam, dictus Aiel de
Bethel, cum eam reaedificaret et fundamenta jaceret, mortuus
est Abyram, primogenitus ejus, et cum portas muniret, mor-
tuus fuit Segub, novissimus filius ejus, juxta imprecationem
Josuae, ibidem C. 6. et 3. Reg. 16. Haec civitas fuit primo
per Josuam destructa; secundo per Romanos; tertio per
Tataros. Et demum per alios, ita quod hodie est villa sine
muris, sine fossatis, et paucarum habitationum. Homines
illius villae sunt fusci et fortes, et mulieres sunt ibi robustae
ut rustici, ita, quod vix potest discerni inter virum et foeminam.

De hortis amoenissimis Jericho et de rosis ejus.

De Jericho autem egressi sumus et male ductores nostros
respximus propter vexationem nobis factam, quia suspicaba-
mur, quod ex practica eorum nobis contigisset, et impatientes
eramus pro jejunio, quia dominica dies erat, et nihil mandu-
candum habebamns, et in labore et calore eramus. Promise-
runt enim nobis, quod in Jericho panem et aquam reperturi
essemus et quietem habituri. Cum vidissent autem nos tur-
batos, blandis verbis nos consolabantur, nos, dicentes, statim
venturi essemus ad fontem bonum, et pistores de Jericho nos
sequerentur cum panibus. Itaque de Jericho egressi contra
montana Quarentanae processimus et per macerias hortorum
Jericho euntes pulcherrima viridaria vidimus, quae irrigantur
aquis venientibus de fonte Helizaei, de quo suo loco dicam.
In his hortis vidimus multas sicomoros, arbores proceras, in
quarum aspectu recordati sumus illius sicomori, in quam
ascendit Zachaeus, ut videret Jesum, Lucae XIX. Crescunt
etiam ibi aliae arbores fructiferae et aromaticae vites, et fici
multae cum dulcissimis fructibus, insuper diversorum florum
et variarum rosarum ibi vidimus species, et delectabiles et

